



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Clerici in multis differe debent à laicis, quibus deficientibus peccatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

peccatum incurritur. Et simile est iudicium de multis vanæ lætitiæ actibus & verbis, si contingit choreis immisceri. Ex praua autem intentione (puta ad incestum aut adulterium prouocandi) & similiter ex impudicitis, non solum choreas: sed eleemosynas & ecclesiastica officia constat esse peccata mortalia. Conclude ergo choreas non esse ex se malas: licet sæpe afferant peccata venialia vanitatis.

*Clerici in multis differre debent à laicis,
quibus deficientibus peccatur.*

Clericorum peccata specialia ex transgressione iuris positivi, tot sunt, vt vix numerari queant. Tenentur siquidem quod ad habitum deferre rasuram, hoc est clericam: & tonsuram, hoc est non nutrire comam, & non nutrire barbam: & deferre habitum clericalem clausum desuper, non nimia breuitate aut longitudine notabilem, absque pallio diffibulato: abstinere à viridis & rubri coloris vestibus & caligis. Caligæ quoque scaccatæ, & vestis virgata seu partita, manicæ satulariæque consutitiæ, epithogium, insula lineæ, fibulæ, corrigiæ aureæ vel argenteæ, annulli, nisi quibus ex dignitate conuenit, frena, sellæ, pectoralia calcariæque aurata eis inhihentur.

Quò ad artes, Artes macellariorum seu carnificum, tabernariorum, ioculatorum, seu histriorum, goliardorum & bufonum, & chirurgicorum, ab eis tolluntur.

Quò ad officia, Officia secularia, & specialiter iudicis in causa sanguinis, præpositi balistariis, præpositi officialis seu ministri sub domino temporali, tabellionis seu notarii, & aduocati seu procuratoris in placitis secularibus, nisi in quibusdam casibus.

Quò ad actiones, Arma portare, ad tabernam ire nisi in itinere, auer, canesq; sequi ad venandum, acci-
pitres,

Clericorum per. 52

patres, canesq; pro venatione habere, conducere à secularibus agros, ad aleas vel taxillos ludere, ludis huiusmodi interesse, negotiationes, hoc est mercantias commerciaque secularia exercere, habitare demum cum mulieribus (nisi matre, sorore & amita) clericis est prohibitum. Mandatur quoque eisdem, vt benedictionem mensæ præponant, & gratiarum Deo actionibus terminent, lectione semper interiecta cõuiuio, & vt vinum sibi temperent.

Verum horum & huiusmodi transgressio: si temeritas, si contumacia, si contemptus desit, non est peccatum mortale iudicio meo, quantum ex præcepto positiui iuris pendet. Quod ideo adiunxi, quia non loquor de peccato, quo res Ecclesiasticæ malè consumuntur, nec de peccato scandali & mali exempli, nec de auaritia, inani gloria, aut luxuria, & similibus in multis, nec de peccatis quibus se irregulares reddunt constituti in sacris ex actu prohibito, aut excommunicationem quicumque clerici incurrerent. Reddo rationem eorum quæ dixi, & primò de spectantibus ad habitum clericalem. nam clerici non plus arcentur à iure ad habitum clericalem, quam religiosi ad habitum suæ religionis: sed religiosus non arceatur nisi temerè dimittat suum habitum, vt patet: ergo clericus nisi temerè ea quæ sui sunt habitus transgrediatur, non est pœnæ mortis animæ subiectus. Et scito, quòd in habitu clericali tanquam substantiale est clericæ: reliqua sunt concomitantia.

Nec obstat dictis quòd excommunicandus sit si quis ex clericis comam relaxauerit: quoniam non incurrit pœnam excommunicationis, non dico latæ sed ferendæ sententiæ, nisi mōitus contumax fuerit: quoniam quicquid sit de rigore iuris, æquitatis tantum ratio habet, vt nō sit excommunicandus nisi præcipuus à iudice suo. Tum ne quasi ex improviso tanta

52. Clericorum pec.

talisque poena inferatur pro iis quæ non sunt ex suo genere criminosa: tum propter tantam multitudinem impunè solitam hæc transgredi: ita ut non pro magno peccato transgressio reputetur, quæ ex suo genere mala non est, sed expositiuo iure. excommunicationis enim non nisi pro magno crimine inferenda est. Et propterea non incurrit, iudicio meo, mortale peccatum ante contemptum seu contumaciam. Et propter hanc rationem (quia scilicet poenæ graues, grauiiores ac grauissimæ in iure appositæ, exceptis excommunicationibus latæ sententiæ, aut sunt tales ut sine peccato mortali incurri possint, aut si sine peccato mortali incurri non possunt, exigere videntur monitionem, ut non nisi in contumacem ferantur) extendi iudicium meum ad omnia clericis prohibita, & dixi quòd si desit temeritas, contemptus, & contumacia, non video ex vi præcepti peccatum mortale. Non dubito tamen multa interuenire grauiora peccata venialia in huiusmodi transgressionibus ex leuibus causis aut passionibus humanis, non curantibus prælatis obuiare & opponere se murum pro iure seruando. Non putes tamen inter grauiora computandum, si clericus beneficiatus, aut in sacris, comam paululum infra aures attingentem portat: quia aliter quasi derideretur, aut quia sic consuetum est ibi: aut quia habet collum longum, & minus quàm decet, appareret: aut propter aliquam aliam à ratione non alienam, quamuis in sufficientem causam. nullum enim, aut leue in huiusmodi peccatum est, ubi monstrat ille factum, etsi non ad vnguem, reuereri tamen ac seruare iura. Qui autem putat omnia præcepta obligare ad mortale, eget lumine, quo videat nec naturalis, nec diuini, nec humani iuris præcepta omnia ad mortale obligare: sed ea sola quorū transgressio contra charitatem est. Et hæc sint pro timoratis cōscientiis dicta.

Peccata